AUGUSTINUS
Admont, 12. Jh. Seite 62r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25973
Copyright: Admont, Benediktinerstift



accidens in deo quia nichil mutabile aut amissibile. Quod si illud dici
accidens placet quod licet non amittatur minuitur tamen vel augetur
sicuti est anime uita. nam et quamdiu anima est tamdiu anima uiuit. et quia semper
anima est semper uiuit. sed quia magis uiuit cum sapit minusque cum desipit
fit etiam hic aliqua mutatio non ut desit uita sicuti deest insipienti
sapientia. sed ut minus sit. nec tale aliquid in deo fit quia omnino in
commutabilis manet. Quomodo nichil in eo secundum accidens dicitur quia ni
chil ei accidit. nec tamen omne quod dicitur secundum substantiam dicitur. In rebus enim
creatis atque mutabilibus quod non secundum substantiam dicitur restat ut secundum
accidens dicatur omnia enim accidunt eis que vel amitti possunt vel minui.
et magnitudines et qualitates et quod dicitur ad aliquid. sicut amicicie propin
quitates seruitutes. similitudines equalitates et siquid huiusmodi. et
situs et habitus et loca et tempora et opera atque passiones. Que in deo ad aliquid
dicuntur non secundum substantiam dici nec tamen esse accidentia sed relatiua incommuta
bilia. .V.
In deo autem nichil quidem secundum accidens dicitur quia nichil in eo mutabile est.
nec tamen omne quod dicitur secundum substantiam dicitur. Dicitur enim ad aliquid sicut pater
ad filium et filius ad patrem. quod accidens non est. quia et ille semper pater et
ille semper filius. et non ita semper quasi ex quo natus est filius. ut ex eo quod numquam
desinat esse filius. pater esse non desinat pater. sed ex eo quod semper natus est filius
nec cepit umquam esse filius. Quod si aliquando esse cepisset aut aliquando desineret
esse filius secundum accidens diceretur. Si vero quod dicitur pater ad seipsum diceretur non
ad filium. et quod dicitur filius ad seipsum diceretur non ad patrem secundum substan
tiam diceretur et ille pater et ille filius. Sed quia et pater non dicitur pater nisi ex eo
quod est ei filius. et filius non dicitur nisi ex eo quod habet patrem non secundum substantiam hec dicuntur
quia non quisque eorum ad seipsum sed ad inuicem atque ad alterutrum ista dicuntur.
neque secundum accidens. quia et quod dicitur pater et quod dicitur filius. eternum atque incom
mutabile est eis. Quomodo quamuis diuersum sit patrem esse et filium esse